



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quatenus vtrunque doceri debet, & ordine, scilicet, primò lex, deindè Euangelium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

legimus, vel terrorem vel misericordiam reperimus, ibi vulnus & medicinã, legem & Euangelium discernimus & cognoscimus. Non ergo ex libris veteri testamento inscriptis agnoscitur lex, & ex libris Euangelistarum & Apostolorum Euangelium: sed ex ipsi verbis & exemplis, quæ in prædictis libris omnibus continentur, in quem finem scilicet sint dicta, scripta & facta: & vtrunque in altero reperitur, id est, in libris veteris testamenti nedum Lex, sed & Euangelium: id est, promissiones habentur, & in Euangelio lex quoque reperitur, id est, correctiones, comminationes, & id genus reliqua. In hoc facile discernuntur libri veteris & noui testamenti, quod libri noui testamenti Euangelistarum & Apostolorum, testantur Christum exhibitum: At veteris, exhibendum & promissum. Et literæ noui testamenti, promissiones de gratia, iustitia, vita æterna clariùs explicant, quàm illa quondam Mosaicæ & Prophetice: Ibi obscuriùs, hîc apertiùs: lux successit auroræ, nocti dies, Christus Moyse: & Christus apertiùs declarat legem Moyse Matt. 5. 6. 7. In vtroque tamen testamento reperitur Christus.

2. Legitur Exod. 25. Arcæ duo Cherubin imposita esse, id est, angelos duos, qui vultibus se intuebantur, quod figurabat legem & Euangelium, vt scilicet Euangelium absque lege, vel è diuerso, feliciter legatur, doceatur, credatur. Sic duas dedit tabulas Moyse, in quibus docet de fide, dilectione & timore: id quod in prima, in altera verò de operibus erga proximum. Et Apostoli primò docuerunt fidem in Dei misericordiam, deindè & obedientiam legis, sicut patet Rom. II. in quo capite docuit ab initio ad finem vsq; fidem & gratiam, mox deindè in sequentibus opera. Ideò vtrunque est simul prædicandum & docendum, lex & Euangelium: alioqui non docetur feliciter vtrunque. Sic Esai. 40. coniunxit legem & Euangelium:

lium: lex, omnis caro fœnum: Euangelium, & reuelabitur gloria Domini. Et Christus Marci 1. Pœnitenti, inquit, & credite Euangelio. Non igitur sola fides, gratia, misericordia, remissio peccatorum, sub prætextu Euangelicæ concionis est coram simplicibus & rudibus iactanda: Sed & altera quoque pars scripturæ, nempe de obseruantia legis, operum, timoris, pœnitentiæ, obedientiæ, & id genus reliqua, est inculcanda populo, ne in securitatem ducatur, sicut hodiè videmus, & putet esse pacem ibi, vbi non est. Fides enim de gratia & remissione, nihil est absque pœnitentiâ, vtrunque ergo doceri debet & notari.

Error Iudæorum est, quòd lex solùm exigat manum id est, opus externum in obseruantia præceptorum, nihil interim de cordis motibus cogitantes, vt scilicet non manu quispiam occideret, opere non adulteraretur, &c. Atqui Christus in expositione legis Matth. 5. & 6. exigit etiam cor atque affectus, vt nedùm non occidas, sed etiam ne vel corde, vel ore irascaris: nedùm non mœcheris opere, sed non concupiscas etiam animo alienam mulierem. Igitur lex vult spiritu impleri, vt est spiritualis, Rom. 6. Igitur & in Euangelio datur Spiritus sanctus, qui per fidem purificat cor, & donat potestatem obseruandi præcepta, id est, ipse infundit motus cordis consentientes legi Dei, scilicet fidem, dilectionem, timorem, &c. quibus lex seruatur & impletur. Nam hos motus caro ex se efficere non potest. Vult autem cuique assistere Spiritus sanctus & adiuuare, vt præcepta seruentur, modò quis illum non recuset & contemnat. Igitur non excusantur, qui dicunt, Non possum seruare diuina præcepta.